Herrn Geheimrat Professor Dr. W. von Christ
in dankbarer Verehrung.

De epistolis,

quarum fragmenta in Corneli Nepotis libris traduntur, Corneliae, Gracchorum matri, vindicandis.

Inaugural-Dissertation

der

philosophischen Fakultät, Sektion I,

der

Kgl. Bayer. Ludwig-Maximilians-Universität zu München

eingereicht am 18. November 1899

von

Hans Schlelein.

München, 1900.

K. Hof- u. Universitäts-Buchdruckerei von Dr. C. Wolf & Sohn.

De epistolis,

quarum fragmenta in Corneli Nepotis libris traduntur, Corneliae, Gracchorum matri, vindicandis.

Inaugural-Dissertation

der

philosophischen Fakultät, Sektion I,

der

Kgl. Bayer. Ludwig-Maximilians-Universität zu München

eingereicht am 18. November 1899

von

Hans Schlelein.

München, 1900.

K. Hof- u. Universitäts-Buchdruckerei von Dr. C. Wolf & Sohn.

Libri:

Mercklin, de Corneliae vita, moribus et epistolis. Dorpat 1844.

Nipperdey, Opuscula. Berlin 1877.

Soergel, Corneliae-epist. fragm. genuina esse non posse. (Blätter für das bayr. Gymn.-Schulw. 3, 1866. pag. 101 ff. und 144 ff.)

Ed. Meyer, Untersuchungen zur Geschichte der Gracchen, pag. 6, Anm. 6. (Abdruck aus der Festschrift zur 200-jähr. Jubelfeier der Universität Halle 1894.)

Wijnne, de fide et auctoritate Appiani. Gröningen 1855.

Gerlach, Der Tod des P. Cornelius Scipio Aemilianus. Basel 1839.

Lupus, Der Sprachgebrauch des Cornelius Nepos. Berlin 1876.

Cornelius Nepos ed. Halm, Plautus ed. Ritschl, Terentius ed. Dziatzko.

Corneli Nepotis temporibus epistolas a Gracchorum matre scriptas doctissimo cuique cognitas fuisse evidentissime Ciceronis demonstratur verbis Brut. 58, 211: *‚legimus epistolas Corneliae Gracchorum matris — —*'. Nobis vero eorum quibus minime abroganda sit fides Corneli Nepotis codicum testimonio verba *‚ex epistola Corneliae Gracchorum matris excerpta*' traduntur. Ac ne illud quidem praetermittendum est, quod iis epistolas scriptas esse apparet temporibus, quibus Corneliam urbe caruisse testatur Orosius, qui (adv. pag. V, 12.3) illam post prioris filii mortem Misenum secessisse dicit, ut minime mirandum sit per epistolas cum filio matrem egisse. Quae externa, ut ita dicam, epistolarum fides quamquam minime labefactatur, si quis sine ira et studio argumentum quoque spectat atque orationem, tamen non defuere, qui iram atque studium pulcherrimum quidque impugnandi in haec converterint misera fragmenta. Postquam Langeus (Verm. Schriften, Leipzig 1832, pag. 108; librum ipsum non legi, argumenta prolata aliorum ex scriptis cognovi) et Mercklinus in eo quem supra dixi libro illa Corneliae tribuenda esse negarunt, Nipperdeius in praeclarissimo illo spicilegio critico argumenta ab adversariis posita refutavit remque tam diligenter pertractavit, ut neminem postea Corneliae illa abrogaturum esse censeres. At multo acriores imminebant epistolis adversarii; nam Soergelius et Meyerus, viri doctisimi, vehementissime invecti illa fragmenta genuina esse non posse demonstrare conati sunt. Hi fere sunt, qui uberius de hac re disputaverunt; meum autem esse opinor, ut Mercklini et Nipperdeii librorum

summa breviter explicata argumenta cum a Soergelio tum maxime a Meyero prolata refellam, quorum opinionibus adhuc nemo refragatus esse videtur.

Praemitto epistolarum fragmenta:

,— — Dices pulchrum esse inimicos ulcisci, id neque maius neque pulchrius cuiquam atque mihi esse videtur, sed si liceat republica salva ea persequi. sed quatenus id fieri non potest, multo tempore multisque partibus inimici nostri non peribunt atque, uti nunc sunt, erunt potius quam respublica profligetur atque pereat.'

eadem alio loco:

,— — Verbis conceptis deierare ausim, praeterquam qui Tiberium Gracchum necarunt, neminem inimicum tantum molestiae tantumque laboris, quantum te ob has res mihi tradidisse; quem oportebat omnium eorum, quos antehac habui liberos, partis (eorum) tolerare atque curare, ut quam minimum sollicitudinis in senecta haberem, utique quaecunque ageres ea velles maxime mihi placere atque uti nefas haberes rerum maiorum adversum meam sententiam quicquam facere, praesertim mihi, cui parva pars vitae superest. ne id quidem tam breve spatium potest opitulari, quin et mihi adversere et rempublicam profliges? denique quae pausa erit? ecquando desinet familia nostra insanire? ecquando modus ei rei haberi poterit? ecquando desinemus et habentes et praebentes molestiis insistere*)? ecquando perpudescet miscenda atque perturbanda republica? sed si omnino id fieri non potest, ubi ego mortua ero petito tribunatum; per me facito quod lubebit, cum ego non sentiam. ubi mortua ero parentabis mihi et invocabis deum parentem. in eo tempore non pudet te eorum deum preces expetere, quos vivos atque praesentes relictos atque desertos habueris? ne ille sirit Juppiter te ea perseverare nec tibi tantam dementiam venire in animum! et si perseveras, vereor ne in omnem vitam tantum laboris culpa tua recipias, uti in nullo tempore tute tibi placere possis.'

Ac primum quidem Mercklinus accurate atque copiose disputavit de Corneliae ,vita, moribus et epistolis.' Quo libro maxime sum delectatus, quippe in quo ille et diligenter atque subtiliter perscripserit illius vitam moresque et epistolas ipsas, etsi Corneliae eas tribuendas esse negat, minime eodem atque alii modo impugnet, ut argumentum non minus quam orationem reiciat quasi aut, ut Soergelius, habeat ludibrio. Qui quam integer sit in iudicando, facile intellegas comparata eius cum

*) libri: *desistere*, quod mihi obscurum; mihi quidem perplacet Nipperdeii emendatio *insistere*, quod propter *desinemus* depravatum esse videtur.

aliorum ratione de illo Plutarchi (C. Gr. 13,1) loco disserentis. Scripsit enim ibi Plutarchus: ‚— — ἐνταῦθα καὶ τὴν μητέρα λέγουσιν αὐτῷ συστασιάσαι, μισθουμένην ἀπὸ τῆς ξένης κρύφα καὶ πέμπουσαν εἰς Ῥώμην ἄνδρας ὡς δὴ θεριστάς· ταῦτα γὰρ ἐν τοῖς ἐπιστολίοις αὐτῆς ἠνιγμένα γεγράφθαι πρὸς τὸν υἱόν. ἕτεροι δὲ καὶ πάνυ τῆς Κορνηλίας δυσχεραινούσης ταῦτα πράττεσθαι λέγουσιν.' His de verbis infra fusius disputabo; nonnulli enim inde epistolas genuinas esse non posse colligebant, rectissime autem Mercklinus: ‚*narrationis ambiguitas, quam non dirimere ausus est, sed referre maluit Plutarchus, mihi partium invidiae debere videtur. — equidem eorum sententiam praetulerim, qui invita Cornelia filium Opimio consuli adversatum esse scripsere.*' Non minus ab omni partium studio alienus iudicat de Appiani suspicione b. c. I, 20, qui non defuisse censet, qui Corneliam quoque ream fecissent necis Africano minori illatae. De hoc quoque crimine mihi postea copiosius dicendum est; Mercklinus quidem bene in memoriam reducit, quamquam multi auctores de Scipionis morte aliquid referant, Appianum unum nominatim ream facere Corneliam, quae illis temporibus Miseni se continuerit. Qua in causa quod de morum integritate ab omnibus laudata profert argumentum esse nego; ne haec quidem res documento esse potest, quod statuam posuit postea populus Corneliae; de hac re alio loco plura. Optime autem adversatur Langeo, qui cum verbis, ‚*pulchrum esse inimicos ulcisci. id neque maius neque pulchrius cuiquam atque mihi esse videtur*' offenditur, tum maxime illa conceptorum verborum solennitate. Rectissime enim huic respondet illud de ultione dictum non fidei Christianae modulo esse metiendum, illam autem minime esse miram, quia tum in quotidiano sermone asseverandi et obsecrandi formulis homines non pepercisse Plautinae maxime fabulae doceant.

Alia quoque leviora impugnat Mercklinus argumenta epistolarum fidei adversantium, tamen fragmenta, de quibus

agitur, abroganda esse censet matri Gracchorum. Jam pridem enim illi Corneliae epistolae interiisse videntur, quippe quarum nulla post Plutarchum fiat mentio; neque id mirum esse propter antiquiorum historicorum scribendi consuetudinem, qui in libros suos orationes receperint, neglexerint epistolas. Apud posteriores autem artis rhetoricae magistros praecepta reperiri epistolarum scribendarum; quamobrem nostras epistolas, quippe quae ex ‚*novissimae antiquitatis opere prodeant*' fidem habere nullam. Jam Nipperdeius huic opinioni adversatur non omnes eius modi improbandas esse ratus epistolas, nostras vero a Cornelio Nepote confictas esse non posse, quia oratione a Nepotis genere longe diversa et antiquioris temporis propria scripta sint, ut breviter demonstrare conatur; mihi quidem haec res fuse lateque tractanda erit de argumentis a Meyero prolatis disserenti. Alio autem Mercklinus tenetur errore, quod epistolis, nisi de aliis libris codicibus credendum sit, nullam censet habendam esse fidem; hanc quoque opinionem impugnat Nipperdeius, cui, etiamsi codicum testimonium in compluribus rebus falsum esse convinceretur, minime epistolas Corneliae abrogandas esse inde effici videretur. Neque vero illud praetermittendum esse censet Mercklinus, quod codices non consentiant de libro, unde fragmenta desumpta sint. Plerique enim nil nisi ex Cornelio Nepote ea excerpta esse referunt, nonnuli librum de Latinis historicis nominant. Rectissime Nipperdeius huius dissensionis causam esse dicit codicum ordinem perturbatum; ceterum ea in C. Gracchi vita (scil. in libro de oratoribus) posita esse videri, de qua Nepotem scripsisse optime colligit ex Plutarchi vita Ti. Gracchi 21, qui de Gai matrimonio Cornelium Nepotem ab aliis scriptoribus diversa tradidisse perhibet.

Qua externa reliquiarum historia satis magna argumenta genuinae fictaeve earum indolis suppeditari ne Mercklino quidem videntur; temere autem suffragatur ille Langeo, qui

cum aliis offenditur vocabulis insolitis, tum maxime ‚intolerabili battologia‘ verborum ‚*denique quae pausa erit?*‘ sq. Quod intra paucos versus eaedem se locutiones excipiunt, id studio magis censet Mercklinus et consilio, quam forti deberi!! Quae mihi quidem maxima sunt argumenta ‚*scribentis festinationem et modo scripta parum recordantis conestantia*‘!

Atque haec quidem Mercklinus. Uberius autem epistolarum fragmenta tractavit Nipperdeius in eo, quod de Cornelio Nepote scripsit spicilegio critico. Qui non solum illa, quae a Mercklino posita esse cognovimus argumenta praeclare refutavit, sed etiam Langeo, viro doctissimo, adversatus est vehementer in epistolas invecto remque tam diligenter, tam concinne atque acute disseruit, ut omnes illo in libro acquiescere posse putes. Langeus quidem Corneliae moribus censuerat refragari verba, ‚*per me facito, quod lubebit, cum ego non sentiam.*‘ Quicunque sine ira et studio epistolarum fragmenta perspexerit, is non minus quam Nipperdeius cognitum habebit Corneliae consilium: minime illa ignorat et aegritudines et cupiditates extenuari die, filium autem consiliis in praesenti omissis mortuam magis veriturum matrem. Quod ille non convenire putat in eam, quae huius modi epistolas scripserit, illam Plutarchi Corneliam, quae post filiorum mortem fuerit ἀπενθὴς καὶ ἀδάκρυτος (C. Gr. 19), rectissime Nipperdeius: non repugnat iis, quae de magno referuntur Corneliae animo. Maxime autem offensus erat Langeus — laudatus in hac re etiam a Mercklino — pleniore illa filii nuncupatione ‚*qui Tiberium Gracchum necarunt*‘. Qua appellatione ille quidem convictum censet teneri misellum declamatorem, Nipperdeius autem praecipue commemorari illam ex una Gracchorum familia exortam tantam reipublicae perturbationem filiorumque insaniam.

Neque vero ille argumenta ab adversariis ex oratione petita omittit. Ac primum quidem adversatur Bernhardio, qui (hist. litt. Rom. p. 88) nimis recentem censuerat fragmentorum

esse colorem. Cui ille minime respondet epistolarum fidem labefactari colore recentiore, quia Cornelia doctissimi cuiusque Romanorum familiaritate usa (Pl. C. Gr. 19) haud facile incorruptum conservarit antiquiorem sermonem; ceterum in epistolis plura inesse antiquioris sermonis propria. Qua de re mihi postea fusius erit disputandum, ipse autem Nipperdeius nonnulla affert maxime comprobanda: Rectissime comparat verba ‚*perpudescet miscenda atque perturbanda republica*‘ cum ‚*neque mei neque tui intus puditum est factis, quae facis*‘ ap. Plaut. Bacch. 379 (verbo absolute posito ablativus qua re pudor excitetur demonstrat) et ‚*eorum deum preces expetere*‘ cum ‚*qui sunt, qui a patrona preces mea expetessunt*‘ ap. Plaut. Rud. 258; illi autem verborum coniunctioni ‚*omnium eorum, quos antehac habui liberos*‘ similem esse illam ap. Plaut. Curc. 433 ‚*ut ei detur quam istic emi virginem*‘ et Terentianam (Andr. 3) ‚*populo ut placerent quas fecisset fabulas*‘. Enumerat etiam vocabula, quae Ciceronis aetate nisi a poetis et antiquariis non sint posita, ut *atque* post comparativum, *quatenus* pro *quoniam* positum (meo quidem iudicio hoc loco non i. q. quoniam, sed = in wie weit; cf. pag. 18), *deierare*, *senecta*, *pausa*. Summo denique iure invehitur in eos, qui fragmentorum verba declamatoria esse affirmant. Haud levem esse rem, quam gravissime commota mater crimini vertat filio: praeterquam qui alterum necarint filium neminem inimicum sibi tantum molestiae tantumque laboris tradidisse. Cuius modi ‚*declamationes*‘ non abhorrere ab illorum temporum consuetudine dicendi, ut Catonis maxime doceant orationum reliquiae. Universae vero orationis conformatione minime anxie structa evidentissime demonstrari non falsarium quendam composuisse epistolas, sed matrem sollicitam filio scripsisse carissimo. Quam ob rem plane consentio Nipperdeio dicenti, quia nil insit in fragmentis, quod a Cornelia alienum possit videri, codicum testimonio fidem habendam esse.

Qua Nipperdeii disputatione Soergelius, vir doctissimus, non mediocriter commotus est, ut ipse profitetur in illo quem supra dixi libro, minime autem eius rationibus, quas omnes vanas esse putat, ‚sed summa eius fiducia verborumque asperitate'. Etenim minus ex verbis quam ex rebus evidentissime promittit se demonstraturum epistolas nullo modo a Cornelia esse profectas. Qua pronuntiatione vehementer perculsus sum: sine ulla spe salutis misera illa censebam fragmenta in nihilum esse reditura Totam perlegi argumentationem: tum vero mihi omni dubitatione amota persuasum erat illa fragmenta Gracchorum matri non esse abroganda, quippe quae ne summa quidem improbandi cupiditate labefactari possint.

Externa fragmentorum historia bene omissa rectissime ille epistolas ab ipso Nepote historicorum more compositas aut fraudulenter ab alio confictas ab illo pro genuinis relatas esse posse negat, quia illi refragetur opinioni fragmentorum oratio, huic Ciceronis testimonium Brut. 58, 211 (cf. pag. 5); itaque ea a falsario quodam Nepotis scriptis inserta esse apparere. Nam a Cornelia scribi non potuisse, quippe quae ab ingenio moribusque eius mirum quantum abhorreant. Quam diversitatem fuse lateque tractat; sed aliis quoque offenditur rebus, quae nobis antea spectandae sunt.

Ac primum quidem consentaneum non esse censet Soergelius eam matrem, quae ita, ut in his epistolis legamus, ad filium scripserit, postea repudiatis omnibus precibus suis tamen adeo coniuncte cum eo vixisse, ut in multo leviore causa se animum eius placaturam speraret, filium autem a matre acerbissime damnatum ei aliquid gratificatum esse. Scripsit enim Plutarchus (C. Gr. 4) Gaium matris precibus commotum revocasse illam adversus Octavium latam rogationem (ne illi, cui plebs abrogasset tribunatum, alterum liceret capessere munus). Quod ‚leviorem' fuisse causam nego: non agebatur filii vita, agebatur honor. Rectissime iam Mommsenius in

hist. Rom.: „es wäre eine Schande gewesen, an einem Ehrenmann, der nur der Verfassung gemäss gehandelt hatte, niedere Rache zu nehmen." Minime necesse erat haud facile tollendam dissensionem inter eos oriri, praesertim cum in fragmentis acerbissimam filii damnationem inesse nullo modo intelligam (cf. *vereor*, *ne* — —; consilia eius condemnat!). Mater, opinatur Soergelius, si maius impetrare non poterat, certe minus impetrare noluisset: puerulorum verò censet ille fuisse in matre Gracchorum contumaciam atque libidinem, qui precibus denegatis obstinato silentio prae se ferunt puerilis animi magnam offensionem! Illud quoque neutiquam praetermittendum esse censet, quod Plutarchus Corneliam ab adversariis Gracchorum conviciis agitatam esse refert. Scilicet omnes cives certiores fecerat Cornelia se per epistolas admonuisse filium, ne rempublicam perturbaret! At meo quidem iudicio illi id unum, quod omnes semper consentiunt, minime ignoraverunt summam familiaritatem pietatemque fuisse inter Gracchorum matrem et filios ideoque illi quoque sunt adversati, quam C. Gracchum non solum peperisse certo sciebant, sed etiam educasse; quam fortasse conviciis agitassent, etiamsi ipsam filiorum consilia non comprobasse habuissent compertum! De statua ei a plebe posita cf. pag. 34.

Deinde mirum esse videtur Soergelio, quod Cornelia tam libenter filiorum occisorum memoriam renovavit eorumque facta et fata percensuit (Plut. C. Gr. 19). Quod iudicium minime alienum est ab illo supra de pietate inter parentes et liberos allato. Quae mater non libenter eorum meminerit filiorum, qui plebis causa magnos subierunt labores multisque summa animi integritate adversati interierunt, etiamsi ipsa eorum studia vana esse rata illos antea admonuerat, ne illa consilia persequerentur? ‚Sine luctu et lacrimis Cornelia filiorum casus et facta referebat': quod cur infesto potius filiis animo quam illi semper laudatae animi magnitudini tribuat ego non

intellego. At non mediocriter gaudeo, quod idem minime commovetur illa Appiani suspicione de Scipionis caede. Denique miratur Soergelius, quod Gaius Gracchus, in quo summas animi virtutes infuisse constet, in consiliis publicis suis nihil aliud spectaverit, nisi ut inimicos ulcisceretur, ‚ulcisceretur inimicos quovis pretio, etsi ipse, etsi respublica interiret.' Quod qua ex re ille colligat nescio; in nostris fragmentis mater admonet filium, ne fratris persequatur consilia, quippe quae civibus saluti non fore perspexerit. Minime ignorat mater Gaium fratrem ulcisci velle, ulcisci non ‚quovis pretio', sed eo, ut legum obtrectatoribus adversatus opus perficiat ab eo incohatum, quod reipublicae maximo futurum esse emolumento ipsi certe persuasum erat. Quam opinionem falsam esse rata dirimere voluit mater per eas de quibus agitur epistolas.

Maxima vero argumenta Soergelio ipsa praebere videntur fragmenta, quippe quae mirum quantum abhorreant ab ingenio moribusque Corneliae. Ac primum quidem monendum esse censet ‚in epistolis nihil inesse nisi universas elocutiones'; ipse nescit, ‚quid tandem agitaverit Gaius, quid mater dissuaserit'. Qua de re libenter certiorem facio illum: Gaius tribunatum petiturus est, mater monet, ne hoc faciat fratris consilia persecutus; sed aliam quoque rem cum illo communicabo iucundissimam cognitu: nos quidem non habemus Corneliae ‚totas epistolas' conservatas, sed epistolarum fragmenta; quare illis ‚universis elocutionibus' gravissimas praecessisse argumentationes haud temere conicias! Neque minus offenditur ille, quod Cornelia sua quoque causa admonet filium, ut illa consilia omittat: nihil aliud — sic! — Soergelio novisse videtur nisi otium et commodae vitae rationem! Deinde illam ignorare censet filii amorem patriae, quippe quae de sola ulciscendi cupiditate disserat: meo quidem iudicio huius modi epistolae nisi ad virum patriae amantissimum datae leves atque vanae

esse videntur, nam patriae maxime rationibus mater commovere conatur filium, ne fratris opus perficiat.

Cuius modi argumentis quam inepte ille epistolarum fidei adversetur nemo non intellegat; iam vero aliam affert rem, qua mihi haud dubie demonstrari videtur illas Corneliae non esse abrogandas: Verborum ‚*sed quatenus id fieri non potest, — — inimici nostri non peribunt*' ‚garrulam obscuritatem inconcinnitatemque' valde abhorrere censet a Cornelia sermonis elegantia celebratissima, illam haec fere fuisse scripturam: ‚sed quatenus id fieri non potest, omitte consilium tuum inimicos ulciscendi et consule patriae.' Qua re se illius quam ‚psychologiam' nos vocamus artis imperitissimum esse ostendit Soergelius. Haec fere falsarius quidam scripsisset illorum temporum perturbatione Gracchorumque fortuna ipse minime commotus; at mater trucidati necem filii maerens in *epistola* ad alterum data filium pro illis frigidissimis verbis ‚omitte consilium tuum inimicos ulciscendi' dicit id quod ulciscendi consilio omisso non potest non fieri: inimici nostri non peribunt; quae quamvis magna sit animi magnitudine, hanc cogitationem reprimere non potest.

Sed videamus, quomodo iam impugnet ille ‚loquacissimae anus' epistolas! Quam inepte de matris iudiciis ‚iniquis et odiosis' iudicet, quibus omnem inter matrem et filium pietatem tolli necesse fuerit, iam supra demonstravi. Subrisisse mihi videtur Gaius sollicitudine cognita carissimae matris, quam nimis anxiam esse censebat, quippe quae tanta verborum solennitate atque gravitate admonuerit filium carissimum; dissensionem fuisse inter matrem et filium minime nego, discidium nego. Nobis Cornelia filium admonere videtur, ne tribunatum petat, Soergelio autem, ‚ut omnino res publicas agere desistat, ut otio, ignaviae se det, ut ipsius securitas summa sibi lex sit, ut non patriae, sed miserae mulierculae rationem habeat'! Summo et patriae et filii amore commota mater illum orat

atque obsecrat, ne persequatur ea consilia, quae patriae non minus quam ipsi periculosa esse putat: Soergelio turpissimae obnoxia est intemperantiae, quippe quae filium adultum ad nutum sibi praesto esse iubeat. Deinde quaerit, quibus tandem rebus Gaius matri tantum molestiae tradiderit eo tempore, quo nondum inierit priorem tribunatum;. dicam: consilio tribunatum petendi et perficiendi opus a fratre incohatum. Illum summa animi integritate fuisse recte dicit; quae ut refragetur fragmentorum fidei, enixe quidem, sed frustra operam dat, ut illum qui per epistolas admonetur Gaium solis utilitatis rationibus duci demonstret. Illud autem ‚iniquum' Corneliae de filio iudicium eo magis censet esse admirandum, quod ipsa acerrimum suum adversus Tiberii percussores odium profitetur; inde eam eius actiones non plane improbasse colligit: meo quidem iudicio mater filii percussores — rectissime dicit Soergelius ‚percussores' — vehementissimo potest odio persequi, etiamsi eius consilia improbarat atque dissuaserat; Cornelia licet comprobarit Tiberi consilia et reipublicae et ipsi minime periculosa fore rata: luctuoso docta eventu alterum ne illa persequatur non potest non admonere filium. Sordidissimum vero sui amorem ille crimini dat Corneliae, quae illa fragmentorum verba scripserit: ‚*oportebat te omnium eorum, quos antehac habui liberos, partis tolerare sq.*' Scilicet illam ‚reipublicae incuriosam' fuisse evidentissime illis prioris fragmenti verbis, ‚*id neque maius neque pulchrius cuiquam atque mihi esse videtur, sed si liceat rep. salva ea persequi*' demonstratur, ‚immemorem autem filii gloriae' illis alterius ‚*ecquando perpudescet miscenda atque perturbanda republica*' atque universo fragmentorum argumento! Quidquid autem alio modo impugnari non potest, id ridiculum facit Soergelius, ut illa verba ‚*utique quaecunque ageres* sq.' Infirmi pueruli instar debere Gaium, priusquam aliquid suscipiat, matris semper antea impetrare veniam!

Femina liberali indignam esse censet arrogantiam, quod Cornelia carissimum filium admonet, ut in rebus maioribus prudentissimae matris auctoritatem respiciat; illam eum ‚omnia consilia publica omittere iubere‘ ex fragmentis nullo modo potest colligi. Nunquam autem intellecturus esse videtur Soergelius Corneliam, cum Gaium ne tribunatum petat admonet, non tam suam spectare commoditatem quam filii salutem et reipublicae. Rectissime ille matri, si filii consiliis adversari voluit, ea patriae ipsi infesta esse demonstrandum fuisse dicit; haec argumenta quod desiderat non miror, quippe qui, ut iam supra dixi, illud neglegere videatur, quod epistolarum nos nil nisi fragmenta habemus. Denique illis quoque offenditur verbis, quibus iam Langeus, *‚per me facito quod lubebit, cum ego non sentiam‘*; de his conferas quaeso pag. 9.

Omnia vero epistolarum verba percensenda atque improbanda esse videntur Soergelio; iam invehitur in illa *‚denique quae pausa erit‘*. Certe Gaius ‚nondum coeperat publice agere‘, sed hoc loco familiae i. e. utriusque filii insaniam queritur Cornelia (cf. verba quae sequuntur), quae iam Tiberi gravissime afflicta est factis fatisque. Multo autem ineptius impugnat illa, quae iam sequuntur: in his miratur nihil inesse gradationis, antecedere graviora, minora sequi. Minime igitur rhetorice illi epistolarum verba dicta esse videntur; qua ex re alius fortasse vir minus doctus eas a falsario quodam compositas non esse coniciat! Deinde intolerabile esse censet illud *‚ecquando desinet familia nostra insanire‘*: unus Tiberius, inquit, certamina publica iniit, is autem solus familia dici mullo modo potest. Concedo; at mater sciebat non minorem esse insaniam in Gaio, quippe qui, ut fratris consilia persequatur, iam petiturus fuerit tribunatum. Acute autem ille — ipse quidem loquitur εἰρωνικῶς — verba *‚ecquando desinemus et habentes et praebentes molestiis insistere‘* ex Graeco deprompta esse sermone (ἔχοντες καὶ παρέχοντες)

cognoverat; haec neglegentia haud leve mihi argumentum esse videtur epistolas a Cornelia scriptas esse litteris Graecis doctissima. Quae sententia cur ‚humilis' sit, ut ille censet, nescio; etenim mater non solum de iis loquitur molestiis, quas filiorum insania ‚habet' i. e. ipsis affert, sed etiam de iis, quas ‚praebet', scil. civibus! De tota vero epistolarum indole inique atque perverse iudicat Soergelius; quare ille quod liberorum desiderat amorem minime miror; quicunque autem incorrupto iudicio epistolarum fragmenta perspexerit, is, opinor, intelleget eas a muliere summo et patriae et liberorum amore incensa scriptas esse, a muliere vere Romana, qualem Corneliam fuisse accepimus. Illa Soergelio quidem filium admonere videtur, ut ‚patriam perdat, dummodo matris quies nihil inde turbetur', nobis autem, ut patriam salvam conservet omissis ipsis illis consiliis, quibus matris quoque turbetur quies. Neque vero illa pulcherrima verba praetermittit, quibus mater de temporibus post suam mortem admonet filium; quae tam inepte percenset, ut eum psychologiae iudices esse imperitissimum, peritissimum artis sophisticae. Ea quoque quae sequuntur verba in ludibrium vertere conatur (de verbis ‚*preces expetere*' cf. pag. 10 et 23), maxime illud ‚*ne ille sirit Juppiter — — tibi tantam dementiam venire in animum*': eam iam infixam haerere in eius animo. At Gaius, quippe qui nondum inierit certamina publica, sed petiturus modo fuerit tribunatum, tum aliquo numine divino revocari poterat ab illā dementia. Denique ille postrema fragmentorum verba invectus offenditur eo, quod mater filium admonet ipsum nil nisi molestias ac labores sibi paraturum esse, convenienter autem toti argumentationi finem facit magnifice cavillatus: ‚quod autem gravius scelus excogitari potest, quam si quis ipse se sua culpa laboribus et periculis afficiat?'

His a Soergelio prolatis argumentis nemo gravius commoveatur vir doctus. At compluribus annis post illae epistolae

denuo impugnatae sunt a viro doctissimo, Eduardo Meyero; cui eo facilius nonnemo credat temere, quod de illis non scripsit librum, sed in illo, quem supra dixi, de Gracchorum temporibus disserens illas Corneliae non esse non abrogandas contendit longiorem supervacaneam esse ratus argumentationem; etenim maxime mirum esse eas a viris doctissimis, etiam a Mommsenio pro genuinis haberi. Quarum falsam indolem censet cum fragmentorum demonstrari argumento, tum maxime oratione; hanc enim esse colore multo recentiore et mirum quantum abhorrere a Gracchorum aequaliumque sermone. Haec igitur potissimum diligentius mihi spectanda est, deinde eius ex rebus petita argumenta refutabo.

Fragmentorum orationem adhuc nemo uberius tractavit eorum, qui fidei aut defensores aut adversarii exstiterunt, sed Mercklinus quoque et Soergelius illorum fidem impugnantes antiquitatem potius ea redolere censent. Jam singula perhibeamus verba! Primum quidem incidit nobis, ut iam Nipperdeius notavit, ‚*pulchrius atque*‘ nam *atque* post comparativum (negativum) positum Ciceronis Nepotisque temporibus nisi apud antiquarios non reperias (unus locus ap. Cic. Att. 5, 11, 2 iure a Klotzio aliisque in suspicionem adductus est), reperias autem compluries in antiquiore sermone, ut ap. Plaut. Cas. 860 ‚nec fallaciam astutiorem ullus fecit poeta atque ut haec est fabre facta ab nobis‘, Merc. 897 ‚amicior mihi nullus uiuit atque is est‘; Ter. Andr. 698 ‚non Apollinis magis uerum atque hoc responsumst‘; gravius autem esse censeo, quod verbum *quatenus* nondum eandum habere videtur potestatem quam postea — Ciceronis demum temporibus —, i. e. = *quoniam*, sed Germanice significat „in so weit“. Deinde iam ex primis fragmentorum versibus *atque* particulam saepius usurpatum cognoscas: in ambobus nostris fragmentis *atque* septies simplicis copulativi tenet partes, ter *que*, bis *et*. Conferas quaeso Nepotis sermonem; exempli causa adhibeo

Miltiadis et Themistoclis vitas: in illa sexies positum est *atque*, sexies et vicies *que*, decies *et*, in hac septies *atque*, septies et vicies *que*, duodevicies *et*. At vetustissimus quisque scriptorum Romanorum hanc particulam amat, maxime autem Cato, cuius in orationibus abundantissime positum esse *atque* iam Gellius monet: in illo orationis pro Rhodiensibus habitae parvo fragmento (Gell. VII, 3) illud decies reperimus, bis *et*; idem ex eius de agricultura libro cognoscas non minus quam ex Terenti operibus; saepius quoque illa particula utitur C. Gracchus, exempli causa adhibeas Gell. XI, 10 (paucos intra versus quater). Accedit, quod illi vetustiores scriptores breviore illius particulae forma *ac* carere videntur; item nostra fragmenta, cf. *atque mihi*, *atque pereat*, *atque perturbanda*, *atque praesentes*, *atque relictos!* At Cornelius Nepos nisi euphoniae causa aut (id quod illi proprium est) ante literam v (Alc. 7,3; Dat 9,4; Ep. 1,3; Att. 1,3) pleniore vocabuli forma utitur nunquam!

Plura vero multoque maiora argumenta posteriora praebent fragmenta. Jam illud ‚*verbis conceptis deierare ausim*‘ non solum non abhorret ab epistolarum illis temporibus scriptarum sermone, verum etiam illi aptissimum est, quippe quod tum in sermone cotidiano fuisse evidentissime demonstretur Plauti fabulis: Truc. 767 ‚conceptis me non facturum uerbis iurem‘, As. 562 ‚ubi uerbis conceptis-periuraris‘, Pseud. 352 ‚iurauistin-nempe conceptis uerbis‘, ibid. 1056 ‚conceptis uerbis periurare‘, Merc. 790 ‚concepteis uerbeis iam iusiurandum dabo‘, Bacch. 1028 ‚iusiurandum uerbis conceptis dedi‘, Cist. 98 ‚conceptis iurauit uerbis‘. Quae verba nimirum nullo Nepotis loco invenimus; etiam *deierare* fere proprium esse videtur antiquiori sermoni, cf. Plaut. Rud. 1336 ‚deiera te—daturum‘, Cas. 670 ‚per omnis deos deierauit‘; Ter. Eun. 331 ‚liquet mihi deierare‘, Hec. 771 ‚deierat persancte‘; Lucilius XXIX, 610 ‚deierat non scripsisse‘ etc. Vocabulum ‚ausim‘ apud

omnium fere temporum scriptores positum esse scimus interdum, saepius autem apud antiquiores (cf. Plaut. Bacch. 1056, Poen. 149, 1358; Ter. Eun. 884, 904 etc.); idem dicas de *antehac* (cf. Enn. ann. 205; Plaut. Cist. 1, Epid. 99, Truc. 165 etc.). Illis vero quae iam sequuntur verbis ‚*praeterquam qui — necarunt*' simillima esse iam Nipperdeius notavit Terentiana (Eun. 67) ‚neque praeter quam quas ipse amor molestias habet addas'; iucundius autem sit cognitu illud ‚*tantum molestiae tantumque laboris — — tradidisse*'. Nam verbum labor eandum fere ac *dolor* potestatem in illius maxime aetatis sermone cotidiano habuerit, ut ap. Plaut. Trin. 271 ‚quamquam ibi grandis capitur labos', Curc. 219 ‚valetudo decrescit, adcrescit labor'; Ter. Andr. 870 ‚tantum laborem capere' (cf. quoque fragmentorum verba ‚*tantum laboris culpa tua recipias*'); *tradere* autem vocabulum illis temporibus saepe similiter usurpari iam alii demonstraverunt, equidem comparaverim verba Metelli (ap. Gell. XII, 9) ‚probi iniuriam facilius accipiunt quam alteri tradunt'. Deinde notanda est illa verborum coniunctio ‚*eorum, quos antehac habui liberos*'; cui iam Nipperdeius censet similes esse illas ap. Plaut. Curc. 433 et ap. Ter. Andr. 3 iam supra (pag. 10) allatas. Cuius modi multa nobis occurrunt antiquiorum percensentibus scripta, ut Plaut. Truc. 275 ‚ni ligneae haec sint, quas habes Victorias', Merc. 230 ‚ei ne noceret, quam domi antea habui capram', Stich. 321 ‚— (quid inest?) quas tu edes colubras'; Ter. Heaut. 654 ‚quam Bacchis secum adduxit adulescentulam, ea lauatum dum it', ibid. 723 ‚(me huc induxerunt) decem minas quas mihi dare pollicitust' (i. q. quas mihi dare pollicitust decem minas). Pulcherrime vero antiquiorum consuetudine dicendi explanatur illa vox ‚*partes tolerare*', quae iam multos offendit. Nam illis temporibus vocabulum *tolerare* similiter ac *sustinere* usurpatum esse haud temere conicias Plauti ex verbis Trin. 687 ‚tua qui

toleres moenia' = deine Pflichten aufrecht erhältst, ihnen genügst; conferas quoque ibid. 338 ,quia sine omni malitiast, tolerare ei egestatem volo', 358 ,quoi egestatem tolerare uis', 371 ,an eo egestatem ei tolerabis', ubi *tolerare* eandem ac *sublevare* potestatem habere videtur. Neque minus verbum *senecta* antiquiorem redolere videtur sermonem; Plautus quidem *senectam aetatem* (tum adiectivi partibus fungebatur illud verbum) compluribus posuit locis (Aul. 253 ,quem senecta aetate ludos facias', Amph. 1032, Merc. 985, Cas. 240, 259), in Terenti aequaliumque sermone *senecta* plane substantivi potestatem habuerit, cf. Ter. Ad. 954 ,nimium ad rem in senecta attenti sumus'. Tum vero fragmenta percensenti illa potissimum incidunt verba *,praesertim mihi, cui — superest'*: a multis desideratur verbum, a quo dativus *mihi* aptus sit. Quem nisi attractione quadam relativi concessa intellegi non posse iam Nipperdeius cognovit simillimam esse ratus illam vocem Plautinam Aul. 574 ,ego te hodie reddam madidum — tibi quoi decretum est bibere aquam'. Ac profecto huius modi attractiones quas inversas dicimus, a neglegentiore illorum temporum sermone non alienas fuisse etiam compluribus aliis, opinor, comprobatur locis Plautinis, ut Capt. 1 ,hos quos uidetis stare hic — i stand ambo'; ibid. 110 ,istos capituos duos heri quos emi — iis indito catenas'; Poen. 644 ,hunc chlamydatum quem uides, ei Mars iratust'; Epid. 51 ,quid istanc quam emit?'; ibid. 448 ,sed istum quem quaeris ego sum'; idem Curc. 419; Amph. 1009 ,Naucratem quem conuenire uolui in naui non erat'; conferas quoque Ter. Eun. 653 ,eunuchum quem dedisti nobis quas turbas dedit'; Cat. pro lege Voconia (ap. H. Meyer or. XXXVIII) ,agrum quem vir habet tollitur'.

Sed reliqua verba contemplemur! Vocabula *opitulari* et *pausa* etiam apud posteriorum temporum scriptores invenias posita interdum, passim autem apud antiquiores:

illud ap. Plaut. Curc. 332 ‚ut decet — opitularier'; Cas. 263; Mil. glor. 621; Ter. Andr. 210; Phorm. 786; Pacuvius Periboea (frg. IX Ribb.) ‚nam me perbitere, illis opitularier'; hoc ap. Plaut. Poen. 459 ‚ego paussam feci'; Rud. 1205; Pers. 818; Accius Epigoni (frg. IV Ribb.) ‚bona pausa loquendi'; Enn. ann. 234 (Baehrens) ‚p. pugnandi', 443 ‚p. fecere fremendi'; sat. 467 ‚undis asperis p. dedit'; Lucilius sat. I, 17 (Baehr.) ‚p. facit ore loquendi'. Deinde notandum sit *denique* pro *tandem* usurpari ut ap. Plaut. Truc. 401 et Bacch. 294 ‚quid denique agitis?'; Trin. 938 ‚experiri quo euasurust denique'; Ter. Phorm. 121 ‚quit fit denique' et apud alios illius aetatis scriptores. Jam mireris verba ‚*ecquando modus ei rei haberi poterit*'; sed complures nobis incidant loci similes diligentius spectantibus, ut ap. Plaut. Curc. 300 ‚profecto modus haberi non potest'; Poen. 238 ‚modus omnibus rebus optumumst habitu'; Ter. Andr. 95 ‚scias posse habere iam ipsum suae uitae modum'. Multo autem magis nonnemo commoveatur illis verbis ‚*perpudescet miscenda atque perturbanda republica*'. Vocabulum perpudescet quidem minime miretur vir antiquiorum sermonis peritior; nam apud vetustissimum quemque auctorem plurima inveniuntur verba eodem modo composita, ut *persentisco* (Plaut. Aul. 63; Amph. 527; Merc. 687; Ter. Heaut. 769, 916; Accius Aegisthus [frg. IV] etc. etc.), *pernegare* (Plaut. Trin. 357; Men. 415, 614; Most. 555; Ter. Eun. 34 etc.), *perplacere* (Plaut. Merc. 348; Most. 908), *perlubere*, *percupere* multaque alia. Sed ablativus ‚*miscenda atque perturbanda republica*' difficilior sit intellectu; quem praeclarissime interpretatus est Nipperdeius, ut iam supra (pag. 10) demonstravimus, Plautino loco allato. Gerundivum vero mihi quidem pro participio praesentis passivi positum esse videtur, quippe quo careat lingua Latina; illud saepius in antiquiorum sermone has partes sustinuisse coniciam ex nonnullis Catonis locis: de agric. 134,2 ‚Jane pater, te hac

strue ommovenda bonas preces precor', 189 ‚harumce rerum ergo macte hoc porco piaculo immolando esto' (cf. 134,4 ‚item uti prius datum ob struem obmovendam' = aus Anlass der Darbringung von Opfergebäck). Jam vero notandum sit verbum *facito*; etenim hanc formam raro reperias apud posteriores scriptores, saepissime autem apud antiquiores (ut ap. Plaut. quater et tricies, ap. Ter. octies), maxime in Catonis de agricultura libro. Quod non magis proprium esse opinor antiquioris sermonis quam illud *parentare*, quod item posterioribus quoque temporibus usurpatum esse intellegas interdum; gravius autem esse censeo, quod in fragmentis, de quibus agitur, vocabulum *parens* pro matre positum esse videmus. Hoc verbum etsi a prioribus magis amatur scriptoribus, tamen Ciceronis quoque temporibus usurpatum esse minime nego, sed idem nisi Plauti (Rud. 750 ‚parens quae sit nescio') aetate non significare videtur matrem (ap. posteriores, etiam ap. Cic., saepius = Ursprung). Illud autem, quod in fragmentis bis: ‚*in eo tempore* — *in nullo tempore*' ablativus temporis cum praepositione *in* coniunctus est, maiorem vim habere non contenderim, etsi illud saepius reperias in antiquiorum scriptis; exempli causa adhibuerim C. Gracchi orationem, qua legem Aufeiam dissuasit (ap. H. Meyer or. 6): ‚quo in tempore Graecus tragoedus gloriae sibi ducebat.' Vehementissime vero nonnemo commoveatur illis verbis ‚*deum preces expetere*'. Hunc quoque locum optime interpretemur antiquiorum comparata consuetudine dicendi. In illa enim saepe videmus verbum *expetere* pro *velle* usurpari; conferas quaeso Plaut. Truc. 101 ‚quoius ista aduentum expetit': haec verba significant in posteriorum sermone ‚quem ista aduenire vult'; eodem modo ‚*deum preces expetere*' i. q. ‚deos precari velle' exprimit; cf. verba iam a Nipperdeio allata ap. Plaut. Rud. 258 ‚qui sunt qui a patrona preces mea expetessunt'. Ac profecto saepe numero apud antiquiores cognoscas scriptores verbum

expetere eandem tantummodo quam *velle* potestatem habere, ut ap. Plaut. Trin. 365 ‚se fictorem probum vitae agundae esse expetit‘, 652 ‚agrum tibi relinqui expeto‘, 674 ‚quid facere expetas‘; Curc. 107 ‚ipsum expeto tangere‘; As. 27 ‚scire expetis‘; Aul. 652; Poen. 1131; Rud. 240, 917; Cas. 184, 669; Mil. glor. 1258; Most. 625; Cist. 554; Ter. Andr. 696; Heaut. 383, 890; Pacuvius Iliona (frg. IX) ‚di me esse adiutam expetunt‘. Soergelius quidem verborum, de quibus agimus, ‚ineptiis‘ maxime offensus *deum* non subiectivum, sed obiectivum genitivum esse ignorasse videtur. Denique non neglegendam esse puto verborum ‚*ne ille sirit Juppiter*‘ gravitatem antiquiorum convenientem religioni, cuius effigiem habeas in Plauti maxime sermone; conferas quaeso Curc. 27 ‚nec me ille sirit Juppiter‘; Pseud. 923 ‚ita ille faxit Juppiter‘; eadem verba Amph. 461; Most. 398. Postremo autem singula fragmentorum verba percensenti incidat illud ‚*tute tibi*‘; nam vocabulum tute posterioribus quoque temporibus interdum usurpari scimus, tamen antiquioris potissimum proprium sit sermonis. Etenim illud reperimus apud Plautum positum esse novies et sexagies, apud Terentium quater et vicies, maxime autem ita, ut per alliterationem conexum sit cum quolibet pronomine: tute tibi ap. Plaut. Truc. 843; Curc. 9; Pseud. 20; Stich. 708; Enn. ann. 151. tute tuis ap. Plaut. Truc. 793. tute tecum Mil. glor. 422; Ter. Heaut. 200. tute te Plaut. Trin. 977; Epid. 97; Accius Eurysaces (frg. XVI Ribb.)

De verbis *uti, lubet, ecquando* paucisque aliis disserere nolo, quippe quibus fragmentorum color antiquior augeatur comprobetur non item. Illud vero epistolarum fidei refragantibus multo maiores praebeat difficultates, quod nonnullis ex verbis (*pausa — desinemus et habentes et praebentes molestiis insistere — perpudescet miscenda atque perturbanda r. p.*) haud temere conicias illas scriptas esse ab homine Graecorum in litteris multum versato: quod optime convenire in Corneliam nemo negabit.

Quae cum ita sint, Meyerum negandum non sit temere iudicasse de fragmentorum sermone. Jam vero singulis perlustratis verbis illorum breviter contemplemur orationem universam, quae, ut ille censet, „aufs stärkste zu den echten Fragmenten der Gracchen und ihrer Zeitgenossen kontrastiert“. Qua de re fusius tractari non potest, quia epistolarum nil nisi minima, Gracchorum aequaliumque scriptorum nil nisi parva habemus fragmenta, tamen Corneliae sermonem intellegas minime abhorrere ab illis temporibus. Etenim Catonis quidem si quis perlegerit orationes, in iis summam inesse vehementiam non negabit; optimo iure Gellius (XIII, 24) *commiserationes* illas appellavit. Eius modi vero commiserationem etiam in posteriore habemus fragmento ita, ut complures versus fere desumpti esse videantur ex aliqua Catonis vel C. Gracchi oratione. Neque enim illorum sermo carebat in compositione verborum ea diligentia atque arte, paene dixi affectatione, quas Meyerus proprias esse putare videtur Ciceronis et posteriorum scriptorum, id quod non ignorabat A. Gellius ratus (X, 3) ‚Catonem iam tum facere voluisse, quod Cicero postea fecit‘. Conferas quaeso haec Catonis (de falsis pugnis, ap. Gell. X, 3) verba: ‚Quis hanc contumeliam, quis hoc imperium, quis hanc servitutem ferre potest? Nemo hoc rex ausus est facere; eane fieri bonis, bono genere gnatis, boni consultis? ubi societas, ubi fides maiorum? Insignitas iniurias, plagas, verbera, vibices, eos dolores atque carnificinas per dedecus atque maximam contumeliam — — te facere ausum esse? Sed quantum luctum, quantum gemitum, quid lacrimarum, quantum fletum factum audivi?‘ vel haec (XIII, 24) ‚— in rebus secundis atque prolixis atque prosperis‘. Scilicet haec magis redolent antiquiorem sermonem! At vero Cornelia eodem modo cumulat verba (*‚denique quae pausa erit? ecquando desinet familia nostra insanire‘* sq.), compluribus vocabulis idem dicit (*‚non peribunt atque erunt‘* — *‚profligetur atque*

pereat‘ — *‚tantum molestiae tantumque laboris‘* — *‚miscenda atque perturbanda r. p.‘)*, concinna verborum compositione vehementius commovere conatur filii animum: tanta dicendi sollertia non potest non relegari in Ciceronis aetatem!

Simillimum autem necesse est fragmentorum sermonem comprobari Gracchorum orationi. Cuius pauca ad nostram memoriam pervenerunt monumenta, fere nil nisi Gai Gracchi orationum parva fragmenta; quam ob rem Ciceronis de illo iudicium (Brut. 33, 125) iucundissimum sit cognitu: ‚— noli enim putare quemquam pleniorem aut uberiorem ad dicendum fuisse — — grandis est verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis: manus extrema non accessit operibus eius: praeclare incohata multa, perfecta non plane.‘ Quae verba mirum quantum convenire in Corneliae sermonem nemo negabit partium studio liberatus. Scilicet Ciceronis de antiquiore genere dicendi Romanorum iudicium maiorem non habet auctoritatem! At ipsa contemplemur Gai Gracchi quae adhuc servantur verba! Cf. or. de legibus a se promulgatis (ap. H. Meyer or. 9): ‚Si vellem apud vos verba facere et a vobis postulare, cum genere summo ortus essem, et cum fratrem propter vos amisissem, nec quisquam de P. Africani et Tiberi Gracchi familia nisi ego et puer restaremus, ut pateremini hoc tempore me quiescere, ne a stirpe genus nostrum interiret, et uti aliqua propago generis nostri reliqua esset: hand scio an lubentibus a vobis impetrassem.‘ Comparentur cum hac longa sententiarum continuatione haec verba Corneliae: ‚— *quem oportebat omnium eorum, quos antehac habui liberos, partis tolerare atque curare, ut quam minimum sollicitudinis in senecta haberem, utique quaecunque ageres ea velles maxime mihi placere atque uti nefas haberes rerum maiorum adversum meam sententiam quicquam facere, praesertim mihi, cui parva pars*

vitae superest.‘ Nonne haec commiseratio ab eodem facta esse videtur atque illa? Non ab eodem, sed a matre illius, quem in sermone matris educatum esse Cicero (Brut. 58, 211) perhibet! Offensus est aliquis epistolarum fidei adversantium eo, quod in iis idem compluribus dicitur vocibus, quippe quod abhorreat a matre C. Gracchi sermonis elegantia clarissimi: cf. filii verba ‚ne a stirpe genus nostrum interiret, et uti aliqua propago generis nostri reliqua esset‘! Et in matris et in filii sermone, ut de amborum elocutione simillima breviter iudicem, verba premuntur verbis ita, ut aestus maritimi instar posterior fluctus occupet priorem; quo fit, ut vehementissime commoveantur animi nostri utriusque oratione.

Minime vero fragmentorum verba abhorrent a Gracchorum temporibus, abhorrent a sermone Nepotis. Meyerus quidem utrum illum ipsum censeat fraudulenter composuisse epistolas an posteriorum aliquem scriptorum non plane intellego, certe Nepotem ipsum esse falsarium iam eam ob causam nonnemo fragmentorum fidem impugnantium crediderit temere, quod eius in libris illa traduntur. Hanc opinionem falsam esse demonstrabo.

Iam universa oratio illius maxime aliena est a fragmentis: in his cognoscas inesse magnam dicendi diligentiam nimiamque fere copiam atque perspicuitatem, illius autem in scriptis neglegentiam quandam atque tenuitatem studiumque breviter loquendi. Velut ille saepe numero omittit pronomen determinativum; conferas quaeso cum Corneliae verbis ‚*utique quaecunque ageres ea velles* — —‘ Nepotis (Dion. 9, 5) ‚quam invisa sit singularis potentia et miseranda vita, qui se metui quam amari malunt‘, ubi genitivus, vel (Timol. 2, 4) ‚si liceret Africam obtinere, qui iam complures annos — — tenebant‘, ubi dativus deest, ut nil dicam de permultis locis, ubi nominativum vel accusativum omissum esse videas (Ag. 3, 2; Eum. 9, 4; Chabr. 4, 1; Dat. 4, 2; 5, 1 sq.). Nunquam vero invenias

apud Nepotem verba composita esse eum in modum, quem supra cum aestu maritimo comparavi, sed ille, quamvis neglegentem saepe se praebeat, calamistris quasi scripta inurit nimiaque morositate attenuat orationem. Hanc enim ei crimini des maxime eam ob rem, quod eisdem fere semper legibus verba componit: velut prioris membri coniunctioni nonnulla verba praemittere et iungenda disiungere solet; cuius rei optimum censet Lupus exemplum esse Ep. 6, ubi sexies verbum extremis comprehensionis vocabulis praemissum, quinquies iungenda disiuncta esse paucis in versibus intellegas. Denique perraro apud eum videas maiores verborum comprehensiones, ut abruptum esse eius genus dicendi nullo modo negare possis (cf. Paus. 3, 2. 3; Tim. 1; Dat. 4, 4. 5; Hann. 6; 10 sq.). Haec omnia quam vehementer abhorreant a fragmentorum sermone, non est, quod longius disseram.

Universa igitur Nepotis oratio dissimillima est illi epistolarum, iam vero singula vocabula spectemus! Inde multo maiora proficiscuntur argumenta, nam compluria verba, quae ab aliis scriptoribus saepe usurpata nunquam posita esse videmus in illius libris, in Corneliae fragmentis reperimus. Ac primum quidem notandum est verbum *necare.* Ille quamvis saepe cuipiam necem illatam esse referat, nunquam utitur vocabulo necare! At *interficere* posuit sexies et quadragies (Milt. 4, 1; Them. 4, 1; Ar. 2, 1; Alc. 5, 1; 10, 3; 10, 4; 10, 6; Thras. 1, 5; 4, 4; Dion 6, 5; 7, 1; 8, 3; 9, 6; Iph. 2, 3; Chabr. 4, 3; Dat. 1, 2; 2, 2; 2, 4; 6, 4. 7; 9, 1; 10, 1; 11, 5; Ep. 6, 2; Pel. 1, 4; 3, 3; 5, 5; Eum. 1, 6; 2, 5; 4, 3; 5, 1; 11, 3; 12, 1; 12, 2; 13, 1; Tim. 1, 4; 2, 1. 2; de reg. 3, 4; Hann. 3, 1; 5, 4; 8, 3; 10, 3. 6; Att. 2, 1. 2), *occidere* undecies (Lys. 3, 4; Dion. 10, 1; Ep. 9, 1; Pel. 3, 3; de reg. 2, 1; 3, 2; Ham. 3, 3; 4, 2; Hann. 4, 3. 4; Att. 8, 1), *interimere* ter (Alc. 10, 6; Eum. 6, 3; de reg. 1, 5). Neque vero minus mireris, quod verbum *sinere* usurpatum est in illis a Nepote compositis fragmentis, cuius

partes in ceteris scriptis eius vocabulum pati tenet (cf. Them. 3, 1; 8, 7; 9, 4; Cim. 1, 4; Eum. 1, 3; 6, 3; 10, 4; Hann. 13, 3; Att. 2, 4. 5; 8, 4). Deinde *tolerare* non solum non eadem atque in fragmentis sententia, sed etiam omnino reperias nunquam apud illum scriptorem, qui pro hoc verbo *perferre* vel *ferre* posuisse videtur (Ar. 1, 4; Alc. 1, 4; 10, 3; Dion. 4, 5; 6, 4; 7, 3; Ep. 3, 2; 7, 1; Tim. 1, 2; Ham. 1, 4; Att. 5, 1). Tum vero frustra requiras in Nepotis vitis vocabula *antehac* (cf. Them. 2, 4; Ar. 2, 3; Eum. 9, 2; Att. 19, 2. 3: ante. Lys. 1, 3 et Hann. 3, 4: antea), *quatenus*, *sollicitudo*, *molestia*, *expetere*, ut omittam verba *verbis conceptis*, *deierare*, *senecta*, *opitulari*, *pausa*, *insanire*, *tute*, *parentare*, *invocare* (Cim. 4, 3 invocatus = uneingeladen), quibus nullam censeo maiorem vim tribuendam esse. Denique illud non praetermittendum sit, quod verbum *perseverare* diverse a Nepotis sermone (cf. Them. 5, 1; Dat. 2, 5) in fragmentis tam quam transitivum usurpari videmus.

Etiamsi igitur nonnemo censeat illum fragmentis fraude compositis facile nonnullis vocabulis obsoletis interiectis praebere potuisse colorem antiquiorem, certe non parvas praebeat difficultates iam illud, quod modo cum de tota elocutione, tum maxime de singulis vocabulis attuli, quae diligentiae atque arti tribuenda esse veri simile non sit. Haec vero argumenta singula non multum valent, valent plurimum, si spectes universa.

Sed quoniam satis fuse de oratione tractatum est, percenseamus illa a Meyero ex rebus petita argumenta, quibus maior vis tribuenda non sit. Ac primum quidem ille refragari censet fragmentorum fidei ea, quae Plutarchus (Tib. 9) refert: ‚ἔνιοι δὲ καὶ Κορνηλίαν συνεπαιτιῶνται τὴν μητέρα πολλάκις τοὺς υἱοὺς ὀνειδίζουσαν ὅτι Ῥωμαῖοι Σκιπίωνος αὐτὴν ἔτι πενθεράν, οὔπω δὲ μητέρα Γράκχων προσαγορεύουσιν.‘ Haec verba quantum valeant non difficile sit intellectu. Qua ex re, quaeso, ille

Plutarchum veras Corneliae epistolas novisse colligit? Etenim eo, quod illae Ciceronis legebantur temporibus (Quintilianus epistolas ipsas non iam novisse videtur, cf. I 1, 6) eas etiam multis annis post in promptu fuisse minime convincitur; ac profecto aliis quoque ex causis illum iis non usum esse probabiliter convincitur, ut infra demonstrabo. Itaque ne summa quidem fragmentorum diversitas a Plutarchi libris illorum fidei adversaretur, quippe ex qua nil nisi ei epistolas ignotas fuisse recte conicias. Sed licet ille perspexerit Corneliae epistolas ideoque eius de filiorum consiliis sententiam: quid illa verba dicunt? Corneliam fuisse „Anstifterin des Unternehmens des Tiberius"? Meo quidem iudicio illo loco nil narratur nisi matrem summo et liberorum et patriae amore commotam admonuisse filios, ut rempublicam capesserent atque de civibus optime meriti magnam gloriam et ipsis et matri pararent; at illam filium ad rempublicam reformandam impulisse illis ex verbis minime potest conici. Sed etiamsi hoc aliove loco evidentissime esset demonstratum matrem Tiberi consilia non modo non improbasse, verum etiam provexisse, quo modo id adversaretur fidei fragmentorum, in quibus illa Gaium, filium minorem, orat atque obsecrat, ne fratris consilia persequatur? Iam supra de hac re disserui: Cornelia licet comprobarit Tiberi consilia et reipublicae et ipsi non periculosa fore rata: luctuoso docta eventu alterum ne illa persequatur non potest non admonere filium.

Secunda vero quam affert Meyerus ratio non plus valet: Corneliam a nonnullis ream factam esse necis Africano minori illatae. Cuius de morte praeclarissime disseruit Gerlachius illo supra laudato libro, ad quem huius rei magis studiosos delegem. Huic viro doctissimo plane consentio rato illum nec fato nec sua manu mortem obiisse, sed ab aliquo Gracchanorum, probabiliter a Carbone triumviro interfectum esse. Minime vero nostrum est quaestionem habere, utrum Cornelia hoc scelus

commiserit necne; neque enim Meyerus id crimini dat matri Gracchorum. Sed illam genero illatae caedis ream esse factam negari non potest: nobis igitur haec suspicio quam non refragetur fidei fragmentorum demonstrandum sit. In hanc adducitur illa suspicionem ab Appiano b. c. I 20, Meyerus autem Ciceronis quoque (de rep. VI, 12) utitur verbis, etsi his minorem tribuit vim. Haec prius contemplemur leviora!

Cicero quidem in praeclarissimo illo somnio Scipionis Africanum maiorem haec dicentem facit: ‚— sed cum eris curru in Capitolium invectus, offendes rempublicam consiliis perturbatam nepotis mei. Hic tu, Africane, ostendas oportebit lumen animi, ingenii consiliique tui. — — dictator rempublicam constituas oportet, si impias propinquorum manus effugeris.‘ Ac profecto Ciceronis non neglegendum sit testimonium, quippe qui bene perspexerit illa tempora non ita remota minime studiosus partium Gracchorum (cf. de rep. I, 19). At quomodo ex verbis ‚impiae propinquorum manus‘ Corneliam confirmetur illius sceleris fuisse participem non intellego. Certe inter propinquos illa quoque numeranda est, sed propior fuerit Scipioni alia mulier a compluribus rea facta eius necis, Sempronia uxor: Schol. Bob. pro Mil p. 255: ‚— interceptus est, non sine infamia et ipsius C. Gracchi et uxoris suae Semproniae‘; Orosius V. 10. 9: ‚hunc quidam uxoris suae Semproniae, Gracchorum autem sororis, dolo necatum ferunt‘; Liv. epit. LIX: ‚suspecta fuit, tamquam ei venenum dedisset, Sempronia uxor‘; Appiani verba (b. c. I, 20) postea afferam. Neque vero Gaius Gracchus carebat suspicione (cf. supra Schol. Bob.), quem etsi hac liberatum esse velimus, negare non possumus fuisse caput eorum, quibus Scipionem occidi bono fuit. Ceterum summam in suspicionem adductus est C. Carbo triumvir: Ciceroni quidem, qui Gracchanos omnes nil nisi viros seditiosissimos fuisse censebat (de rep. I, 19), C. Gracchum illi sceleri certe non obstitisse, consiliis suis eius

auctorem fuisse probabiliter persuasum fuerit. Quare minime mireris, quod Africanum impiis propinquorum manibus interiisse Cicero censet.

Haud dubie vero ipsa Cornelia in suspicionem adducitur ab Appiano (b. c. I, 20): ‚— ὁ Σκιπίων — νεκρὸς ἄνευ τραύματος ηὑρέθη, εἴτε Κορνηλίας αὐτῷ, τῆς Γράκχου μητρός, ἐπιθεμένης, ἵνα μὴ ὁ νόμος ὁ Γράκχου λυθείη, καὶ συλλαβούσης ἐς τοῦτο Σεμπρωνίας τῆς θυγατρός, ἣ τῷ Σκιπίωνι γαμουμένη διὰ δυσμορφίαν καὶ ἀπαιδίαν οὔτ' ἐστέργετο οὔτ' ἔστεργεν, εἴθ', ὡς ἔνιοι δοκοῦσιν, ἑκὼν ἀπέθανεν — — εἰσὶ δ'οἳ βασανιζομένους φασὶ θεράποντας εἰπεῖν, ὅτι αὐτὸν ξένοι — ἀποπνίξαιεν.‘ Rectissime de hoc loco iam Merklinus iudicavit: ‚nobis satis multi et graves auctores sunt, qui necatum Scipionem aut aperte contendunt aut ex superiorum scriptorum mente suspicionem caedis repetunt (praeter illos iam laudatos: Val. Max. IV, 1. 12; Plut. C. Gr. 8 et Rom. 27), Appianus unus ille, qui nominatim Corneliam ream facit. Quare nec apud rerum scriptores nec apud plebem Gracchorum matrem illo scelere vere obligatam visam esse haud temere censeas; etenim plurimi erant Romae viri potentissimi, qui tanto Gracchanorum odio imbuti erant, ut vel nascentem eius modi suspicionem enixe aucturi atque provecturi fuerint, certe non fuerint repressuri. Itaque Meyerus pro verbis „dass sie von Manchen als Mörderin des Afrikanus bezeichnet ward“ aptius dixisset „dass sie von Appian u. s w.“, nam mihi quidem illa suspicio non ex aliorum scriptis, sed ex Appiani ipsius rerum cognitione exorta esse videtur. Quod fortasse iam ex orationis forma possit colligi: illa ipsius sententia praemissa subsequuntur per εἴθ, ὡς ἔνιοι δοκοῦσιν et εἰσὶ δ'οἵ opiniones de Scipionis morte pervulgatae. Quae res utcunque se habet, Appianum („obwohl die Briefe veröffentlicht waren“) Corneliam huius sceleris ream fecisse negari non potest. Licet ille noverit epistolas, de quibus agitur, licet illa convicta sit caedis in genero patratae: quo modo haec

omnia adversantur fragmentorum fidei? Cornelia non minore patriae quam filii amore commota Tiberio interfecto alterum admonuerat filium, ne fratris persequeretur consilia; timebat enim, ne multo magis labefactaretur respublica a minore filio acerrimo. Cuius consilio non obtemperavit Gaius: gravissime afflicta est respublica, perfectum autem opus a Tiberio incohatum, cuius plurimi fruuntur commodis. Tum vero triumviris adversatur Scipio Africanus minor: Cornelia dissuaserat filiorum consilia, nunc vero illum perniciem parare cognoscit legibus filiorum summa contentione non sine magna caede civium constitutis, nequicquam mortuus esse videtur Tiberius, Gai quoque vita in discrimen vocatur ab adversariorum partibus, reipublicae autem — haud levissima ratio! — maxima denuo imminere videntur pericula, nam tum iterum diceres, ut recentiorum cuiusdam scriptoris verbis utar, „dass die Beseitigung des Unrechts ohne Unrecht nicht möglich war". Num abhorrere videtur illud facinus ab ea, quae illas epistolas scripsit, abhorrere a Corneliae imagine multorum nobis tradita scriptorum in libris, si omisso fidei Christianae modulo antiquitatis potius mores respicias, praesertim cum illo matrimonio, quod filia cum Scipione inierat, illi etiamsi non stimulus addebatur, certe scrupulus iniceretur nullus? Sed, etsi fragmentorum, de quibus agitur, argumentum vehementer repugnaret iis rebus, quas Appianus refert, nequaqam demonstrata esset illorum falsa indoles; nam illum epistolas novisse non solum non ostendi, verum etiam probabiliter potest negari. Minime hoc loco de Appiani fontibus tractandum est; de his optime disseruit Wijnne, vir doctissimus Hic in illo supra laudato libro illum censet non novisse Corneliae ad Gaium epistolas, quas pauci modo novisse videntur; etenim ne Gracchorum quidem orationes, quas Plutarchus saepius citat, usurpaverit, nam nihil eorum, quae ille ex iis affert, apud Appianum legimus. Denique non mirandum est, quod is rerum scriptor,

cuius festinationi et neglegentiae permultos tribuendos esse errores negari non potest, Corneliae crimini dat necem Africano minori illatam: Gracchorum temporibus rerum perturbatio erat tanta, ut maiores quoque errores aequum sit ignoscere rerum scriptoribus. Horum quod praeter illum nemo illam in suspicionem adducit haud leve est argumentum Corneliam illo scelere vere non obligatam visam esse Romanis.

Iam vero alia examinemus argumenta a Meyero prolata! Ipsas censet Gai orationes epistolarum fidei refragari: „Er spricht in seinen Reden von seiner Mutter durchaus so, als stehe sie ganz auf seiner Seite.“ Utitur autem Plutarchi verbis C. Gracchus 4. Ibi duo referuntur facta notanda, primum illum matris gratia revocasse illam adversus Octavium latam rogationem, de qua iam supra (pag. 11) tractavi: ‚νόμον αὐτὸς ἐπανείλετο, φήσας τῇ μητρὶ Κορνηλίᾳ δεηθείσῃ χαρίζεσθαι τὸν Ὀκτάβιον‘, deinde Gaium matris castigasse obtrectatores his verbis: ‚σὺ Κορνηλίαν λοιδορεῖς τὴν Τιβέριον τεκοῦσαν;‘ Meo quidem iudicio his ex locis nil potest colligi nisi Gaium, postquam tribunatum petendo matris offendit animum, illam eo maiore studuisse colere pietate. Iam in Soergeli invectus argumenta necesse fuisse negavi inter matrem et filium dissensionem haud facile tollendam oriri, nunc vero illius partes Meyerus suscepisse videtur. Minime igitur ex illa Gai revocatione conici possit matrem comprobasse atque laudasse filii consilia, non magis vero ex alia voce supra allata. Filius quod matrem defendit contra inimicos atque calumniatores, qui sibi maxime adversantur, tam eximio commoveri videtur matris amore, ut eum omnibus in rebus appareat idem voluisse idemque noluisse atque matrem! Sed dixerit aliquis: cur Gai inimici tanto odio persequuntur matrem eius consiliis adversatam, cur plebs postea Corneliae posuit statuam leges reprimere conatae? Illam rem iam supra (pag. 12) demonstravi non refragari epistolarum argumento, neque vero magis illarum

fides labefactatur Plutarchi verbis (C. Gr. 4) ,ὁ δῆμος ἐτίμα τὴν Κορνηλίαν οὐδὲν ἧττον ἀπὸ τῶν παίδων ἢ τοῦ πατρός, ἧς γε καὶ χαλκῆν εἰκόνα στήσας ὕστερον ἔγραψε Κορνηλίαν, μητέρα Γράκχων'. Hoc quoque loco monendum est nulla re comprobari illis temporibus notum fuisse matris de filiorum consiliis iudicium; certe illa nullo modo adversabatur filio tribunatum adepto. At vero minime ignara erat plebs summae inter matrem et filium pietatis, quae cum aliis rebus, tum maxime illius adversus Octavium latae rogationis revocatione perspicua facta erat. Ceterum ipsa verba statuae inscripta demonstrant Corneliam illo honore auctam esse non tam propter ipsius virtutes, quam eam ob rem, quod Tiberium et Gaium pepererat, quod educaverat illos. Neque enim tradit Plutarchus inscripta fuisse verba ,Κορνηλία, Γράκχων συνεργός', sed ,Κορνελία, μήτηρ Γράκχων'; veram autem esse illius narrationem ipsa nos docet statuae basis inventa anno 1878. Itaque nullo modo ex illo Plutarchi loco colligi possit matrem filiorum comprobasse consilia; ipsa vero Gai orationum fragmenta de hac re nil praebent iucundius cognitu.

Denique non magis valet postrema ratio, qua commovetur Meyerus. Magnam enim vim tribuit eiusdem scriptoris narrationi C. Gr. 13: ,ἐνταῦθα καὶ τὴν μητέρα λέγουσιν αὐτῷ συστασιάσαι, μισθουμένην ἀπὸ τῆς ξένης κρύφα καὶ πέμπουσαν εἰς Ῥώμην ἄνδρας ὡς δὴ θεριστάς· ταῦτα γὰρ ἐν τοῖς ἐπιστολίοις αὐτῆς ᾐνιγμένα γεγράφθαι πρὸς τὸν υἱόν. ἕτεροι δὲ καὶ πάνυ τῆς Κορνηλίας δυσχεραινούσης ταῦτα πράττεσθαι λέγουσίν.' Meo quidem iudicio quae hoc loco per ,λέγουσι γεγράφθαι ᾐνιγμένα ἐν ἐπιστολίοις' fabulatur Plutarchus maiorem auctoritatem non habent, tamen serio tractemus de hoc loco. Aliis igitur ,genuinis' epistolis ulla dubitatione amota evidentissime demonstratum est Corneliam viros armatos Romam misisse, ut auxilio essent filio. Quo modo hoc adversatur epistolarum, de quibus agitur, argumento? Cum de filii agebatur vita (id illo

ex loco apparet), ἐνταῦθα καὶ τὴν μητέρα λέγουσι συστασιάσαι, tum etiam matrem dicunt auxilio venisse filio seditioso! Ipsis, opinor, his verbis optime comprobatur matrem antea non communicasse cum filio consilia, ut minime repugnet haec ‚genuina‘ epistola fragmentorum argumento. Ac profecto non abhorret a Corneliae moribus, quod illo tempore adiuvit filium laborantem: mater prudentissima admonet filium, ne illam insistat viam, quam periculosam esse censet et ipsi et civibus, amantissima mater filium hanc viam ingressum quasi animo prosequitur labantique adest, etiamsi ipsius neglectis consiliis in illud discrimen venerat. Ceterum Plutarchus non minorem fidem habet narrationi eorum, qui ‚καὶ πάνυ τῆς Κορνηλίας δυσχεραινούσης ταῦτα πράττεσθαι‘ censent. Itaque ipso hoc loco Plutarchi optime demonstratur illum scriptorem ipsas Corneliae epistolas novisse nullas, quippe qui de talibus nonnulla fabulatus nil certi referat.

Atque haec quidem sunt argumenta, quibus Meyerus fragmentorum falsam indolem comprobari putat. Cui illa ad Gracchorum partes infamandas conficta esse videntur, sive Cornelium Nepotem ipsum censeat fraudulenter composuisse epistolas sive posteriorum aliquem rerum scriptorum: „dass ein aristokratischer Historiker die berühmte Frau für die Nobilität retten wollte und durch sie das stärkste Verdammungsurteil über die revolutionären Söhne sprechen liess, ist durchaus begreiflich.“ Scilicet aliquo modo epistolas in Nepotis libros receptos esse necesse est; iam vero eas ab illo rerum scriptore ipso confictas esse non posse ostendemus rem ipsam contemplati (de argumentis ex oratione petitis cf. pag. 27).

Corneliae, Gracchorum matris, epistolas Ciceronis temporibus litterarum Romanarum peritioribus non ignotas fuisse illius comprobatur testimonio Brut. 58, 211; hunc autem librum compluribus annis ante scriptum esse veri simile sit, quam Nepotis vitae editae sunt. Tum vero illum rerum scriptorem,

quem familiariter constat usum esse Cicerone, Attico aliisque viris praeclarissimis, credat aliquis tanta fuisse stultitia tantaque audacia, ut illis temporibus, quibus doctissimo cuique verae Corneliae epistolae notae erant, alias confingeret illique tribueret? Ac profecto illas a Cicerone laudatas epistolas apparet non esse has a Nepote iam confictas falsarias, etiamsi ex temporibus petitas rationes neglegimus; minime enim illo loco Cicero breviter dixisset ‚legimus epistolas Corneliae sq.‘, tamquam si illae doctissimo cuique iam diu notae essent, si re vera paucis modo annis ante Nepos illas subito ‚invenisset‘ i. e. confinxisset. Confingi autem consentaneum fuerit ab illo epistolas aut ab illis prioribus aut a communi de Gracchorum matre sententia abhorrentes, aliter enim nil egisset. At haec res utcunque se habet, ipso a Nepote haec interpolatio abhorret. Nam etsi illum facultate critica caruisse nimisque neglegenter libros conscripsisse viri docti consentiunt, nemo comprobaverit eundem consulto vel minime depravasse rerum gestarum memoriam, nemo eum alicubi res commenticias pro veris tradidisse ostenderit. Maxime igitur mira esset haec interpolatio. Ac profecto si ille malevole epistolas confinxisset, ut Gracchorum partibus maiorem conflaret invidiam, quam inepte hoc faceret vel facere conaretur! Minime enim, ut iam saepe explicui, illis epistolis Corneliae Gracchorumve attenuantur virtutes praeclarissimae, minime vero in illis cognoscas acerbissime condemnari filios ipsos: prudentissima mater insanam esse dicit filiorum r a t i o n e m rempublicam iuvandi. Itaque nullo modo concedam id, quod Meyerus censet, illas confictas esse ad Gracchorum partes infamandas. Sed composuisse censeat aliquis Nepotem illas optimo consilio ad veram Corneliae imaginem depingendam. Certe hanc habemus in fragmentis, de quibus agitur; at huic opinioni refragatur iam illud, quod illum scriptorem ne orationes quidem maiores hoc consilio confingere intellegimus, refragatur maxime epistolarum

indoles non satis admiranda, quam ne multo quidem Nepote ingeniosior vir unquam arte effecturus fuisset.

Summa igitur probabilitate illum ipsum epistolas non conscripsisse effici potest. Iam dixerit aliquis eas ab alio confictas ab illo pro veris in libros receptos aut postea a falsario quodam Nepotis scriptis additos esse. Harum rationum utraque per se pari modo esset miranda. Etenim iam illis supra allatis causis nullo modo verisimile esse demonstratum sit fraudulenter confictas esse ‚Corneliae epistolas' iis temporibus, quibus doctissimo cuique illius verae epistolae notae erant; certe huius modi errorem Nepotis cognovisset Cicero Atticusve! Posteriore autem aetate et genuinas epistolas interiisse et falsarium quendam nostra fragmenta Nepotis scriptis addidisse si quis (ut Soergelius, cf. pag. 11) contendat, externis quidem rationibus novis illum impugnare supervacaneum sit; invicta enim huic quoque opinioni refragetur iam praeclara fragmentorum indoles iam saepe laudata.

Iam vero, antequam finem facio disputationi, novam afferam ex argumento petitam rationem, qua etsi adhuc nemo offensus est, tamen commoveri possit nonnemo, ut temere abroget fragmenta matri Gracchorum: verba ‚*cum ego non sentiam*' = „wenn ich kein Bewusstsein davon haben werde" potius alicui ab Epicuro, qui animos post mortem in nihilum redituros censebat, profecto apta esse videntur quam Zenonis sectam secuto, qui manere contendebat animum corpore vacantem. Certe in Cornelia maxime gente Stoicorum florebat philosophia, certe illa verba bene conveniunt in aliquem Epicuri in verba iurantem, minime autem abhorrent a Stoicorum, qui tum erant, philosophia: Etenim iam Panaetium, quem familiariter scimus usum esse gente Cornelia, reiecisse illam de immortalitate animorum sententiam optime demonstratur Ciceronis verbis Tusc. I, 32, 78, de qua re iam Ed. Zellerus (phil. Graec. III, 1 pag. 563) bene disseruit. —

Quae cum ita sint, non est, quod fidem abrogemus codicum testimonio, qui illa epistolarum fragmenta a Cornelia, Gracchorum matre, scripta esse tradunt. Universam vero contemplatus quaestionem illius summam esse dixerim: si ullum litterarum Romanarum monumentum, haec certe fragmenta non tam philologorum more ad mentem criticam quam ad animum sint revocanda. Quod qui fecerit, is, opinor, non impugnabit illas epistolas, „dieses schöne Denkmal echt weiblicher Seelengrösse“! (Schanz, hist. litt. Rom. p. 139.)

Verfasser ist am 3. September 1877 in Bamberg (Oberfranken) geboren. Nachdem er in dieser Stadt die drei ersten Klassen der Volksschule und in den Jahren 1886—93 die Klassen I—VII des humanistischen Gymnasiums besucht, siedelte er mit seinen Eltern nach Würzburg über, wo er im Jahre 1895 das dortige Neue Gymnasium absolvierte und behufs Studiums der klassischen Philologie die Julius-Maximilians-Universität bezog. Vom W.-S. 1897/98 ab besuchte er sodann die Ludwig-Maximilians-Universität München, indem er sich im Jahre 1898 dem I., 1899 dem II. Abschnitt der Prüfung aus den philologisch-historischen Fächern unterzog, um sich dem höheren Lehramt widmen zu können.
